

decumbit in angusto lectulo cum tenella prole, si forte suffocetur; secus, si lecto ampliori, prole longe a se posita, & certus sit de sua tranquillitate in somno. 2. E contra, qui project per fenestram ligna, vel lapides in plateam publicam, si adhibeat diligentiam sufficientem, puta, si apponant custodes diligentes, qui transeuntes commonefaciant, & ab hoc loco avertant, unus autem custodum incaute se fenestra supponit & occiditur, projiciens non est reus homicidii; quia, hac diligentia adhibita, projectio cessat esse periculosa, non secus ac si fieret in locum desertum. Similiter, qui propinat alteri venenum presente antidoto, cujus efficaciam novit, si quis inopinatio fuerit antidotum, ex quo moritur qui hausit venenum, non est homicida; quia posito antidoto venenum non est periculosum, quinimo fit quandoque optimum medicamen. 3. Clericus in sacris constitutus, chirurgiam exercens per incisionem, vel adustionem, morte, vel mutilatione secuta, non est reus homicidii, si ne sequeretur sufficientem adhibuit diligentiam; quia, quamvis sit ipsi prohibendum C. Sententiam, tit. Ne Clerici 50. l. 3. exercitium Chirurgiae per incisionem, vel adustionem, & ideo ex hac parte peccet, supposita tamen sufficienti peritia & cautela, mors sequens non est ipsi magis voluntaria, quam foret chirurgus Laico: est casus Canonis Tua non cit. Idem dicendum de Clerico medico; & eo magis quod juxta plures non inveniatur in Jure prohibita Clericis ars medica, sicut est prohibita Clericis in sacris constitutis ars chirurgica per incisionem, vel adustionem, C. Sententiam cit. 4. Qui furatur mille aureos a divite avaro, & is ex nimio dolore amissae pecuniae moritur, aut alter, cui furtum imponitur, suspenditur, non est reus homicidii, quia neutrius mors sequitur ex eius furto per se, neque ut plurimum, sed omnino per accidens; prioris enim mors sequitur ex voluntario dolore, alterius ex injuria accusatoris, vel testium. Id quoque Lessius l. 2. c. 9. dub. 16. verum reputat, quamvis fur mortem alterius praevidit inde per accidens secuturam, imò etiam intendit, modò nihil exterius agat, quod vel physicè, vel moralitèr concurrat ad mortem, vel imputationem. Sic etiam censet Henr. a S. Ignatio. l. 9. c. 131. n. 1257. & probabile existimat Sporer in 3. præceptum Decal. c. 3. §. 4. n. 202. & alii: consentit ex parte Soto l. 4. q. 6. a. 3. de morte prævisa non intentata. Ratio illorum est, quia istud furtum, seclusa prævisione, vel intentione, non influit per se efficacitèr in mortem alterius: ergo neque posita prævisione, vel intentione; quia neque prævisio, neque intentio mutat naturam operis exterioris. Unde, inquit, quamvis iste fur graviter peccet contra charitatem, quatenus non abstinere ab opere aliunde illicito, ex quo prævidet secuturam per accidens mortem alterius, aut quatenus eam intendit, non tamen peccat contra justitiam saltem exterioris, nec pro inde obligatur ad restitutionem.

Dices: Qui præbet gladium volenti occidere innocentem, est reus mortis innocentis: ergo similiter in nostro casu. R. N. Conseq. Disparitas est, quod gladius non sit tantum conditio, sine qua innocens non occideretur: sed ulterius est causa instrumentalis in occisione positivè & physicè influens, unde, qui illum præbuit, censetur occidisse per manus alterius. At in nostro casu furtum est tantum conditio sine qua non, quæ in mortem alterius non influit neque physicè, ut patet, neque moralitèr, suppono enim furtum non committi cum his circumstantiis, ex quibus moralitèr, aut plurimum sequitur ut, imputetur alteri, ut v. gr. si furarer indutus vestibus alterius, tunc enim meum furtum influeret moralitèr in imputationem: furti isti alteri, & consequenter in ejus mortem. Ceterum sunt etiam plures, qui tenent Sententiam oppositam, præsertim si intendatur mors alterius; quia tunc, inquit, videtur omnino voluntaria causa injusta mortis secute ex furto.

5. Qui infligit alteri vulnus non lethale, sed eo loco & tempore, quo nullus esset qui curare posset, & vulneratus adhibuit debitam diligentiam, est reus homicidii, si sequatur mors, quia vulnus, secundum se non lethale, in his circumstantiis censetur lethale, & revera ex eo secuta est mors. Idem dicendum, si occasione talis vulneris accidat alius mortis mortem inferens; qui enim est causa causæ, est causa causati, ut fert commune adagium. Si vero mors sequatur ex imperitia, vel negligentia Chirurgi, vel ex incuria, aut malo regimine vulnerati, vulnerantem excusant a reatu homicidii Cajet. Soto, Serra, Less. Layman, & alii juxta L. Qui occidit §. ultimo ff. ad Leg. Aquil. l. 9. tit. 2. his verbis: Si vulneratus fuerit servus non mortiferè negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso. Ratio est, quia, etsi vulnus sit occasio mor-

tis, non est tamen causa, sed ipsa negligentia Chirurgi, vel vulnerati, debebat enim uterque diligentiam adhibere. Quidam tamen non improbabilitèr oppositum tenent, quando scilicet vulnus, etsi non sit lethale, est tamen grave; quia, inquit, quamvis in hoc casu mors sequatur ex culpa Chirurgi vel læsi, attamen ipsum vulnus debet regularitèr censeri cum alia causa quasi communi actionem in mortem influxisse.

Petes 1. utrum homicidium aliudve damnum per servum, aut animal causatum imputari debeat domino? R. Si damnatum causatum sit ex culpa Domini, sic ipsi imputatur, ut debeat in conscientia restituere totum damnum, nec sufficiat servum, vel animal dedere parti læsæ. Si autem id sit factum sine ejus culpa, secundum leges tam Civiles, quam Canonicas, tenetur, non quidem determinatè ad damnatum, sed vel ad damnum, vel ad dandum animal, aut servum. Ita in Jure Civili L. Si servus 3. ff. de noxalibus actionibus l. 9. tit. 4. Si servus scientè domino occidit, in solidum dominum obligat, ipse enim videtur dominus occidisse; si autem inscientè, noxalis est; nec enim debuit ex maleficio servi in plus teneri, quam ut noxam eum dedit. Et in Jure Canon. cap. Si culpa tua; de injuriis & damno l. 5. tit. 36. Gregorius IX. sic docet: Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare teipsum. Quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuerint, & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.

Utrum verò istæ leges quatenus spectant secundam partem Responsionis obligent in conscientia ante sententiam judicis? Respondetur communiter negativè; quia, etsi forte non sint absolute poenales, sunt tamen quasi poenales utpotè late ad reddendos homines diligentiores in ejusmodi damnis cavendis. Est autem commune legibus poenalibus & quasi poenalibus ut ante sententiam judicis non ligent. Vel dicendum, eas pertinere dumtaxat ad forum externum, neque aliter esse usu receptas, ut ait Lessius. Idque magis iudicè evincitur, quod si dominus ante litem contestatam moriatur, non datur actio de damno contra ejus heredes L. Indè Neratius §. hanc actionem ff. ad legem Aquilam & alibi; si verò Dominus teneretur in conscientia ante sententiam judicis, etiam teneretur ipsius heredes, & adversus eos daretur actio. Ita censet Less. Layman, Pontas V. Restit. cas. 170. post plures alios citatos.

Petes 2. Utrum homicidium aliudve damnum causatum a Filio sic imputetur Patri, ut de damno teneatur. R. Negativè, si absquè ejus culpa factum sit: ita §. ultimo Institut. de noxal. Action. l. 4. tit. 8. Ratio est, quia ex una parte iniquum foret, ut nequitia Filii esset damnosa Patri, & durum nimis dedere corpus Filii. Ex alia parte Filius familiaris, cum sit liber & capax domini, potest pro suis delictis conveniri. Ita loco cit. Instit.

## ARTICULUS IX.

### De mutilatione, verberatione, et incarcerationatione.

D. Th. Q. 65.

#### §. I. De mutilatione.

Dico 1. (Q. 65. a. 1. o.) Auctoritate publica potest licitè malefactor mutilari in aliquo membro sui corporis. Quia, sicut per publicam potestatem aliquis licitè privatur totalitèr vita propter aliquas majores culpas; ita etiam licitè privatur membro propter aliquas culpas minores. Item (Ibid.) quando membrum est toti corpori nocivum licitum est privatè personæ illud sibi, vel alteri de ejus licentia amputare; quia, cum membrum sit pars totius corporis humani, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum, unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti; atque unicuique commissa est cura propriæ salutis: ergo. Et eadem ratio (Ib.) est, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet cura de salute illius, qui habet membrum nocivum, qualis est pater respectu filii, tutor respectu minorennis, Prælati respectu Religiosi: & hi etiam compellere possunt subditum, ut permittat sibi membrum amputari, quando medici judicant id esse necessarium salutis totius corporis: modò tamen non sint acerbiores cruciatibus tolerandi, memo enim tenetur mediis extraordinariis & admodum difficilibus vitam suam conservare, ut jam dixi supra de occasione sui ipsius. Et hanc conclusionis partem secundam etiam esse veram censemus probabilis, sive membrum sit nocivum ab intrinseco, puta quia est putridum, sive ab extrinseco, ut si constrictus brachio, vel pedes si comburendus, vel a fe-

ra discerpendus, nisi membro hoc amputato fugias, aut etiam si tyrannus tibi minetur mortem, nisi abscondas tibi manum quia ratio D. Th. militat de membro, quovis modo nocivo toti corpori. Excipit tamen casum, quo tyrannus id præcipere propter aliquam causam Religionis, puta, quia absolvisti poenitentem, aut quia fecisti sacrum, tunc enim obediendo tyranno censeres improbare tuum factum, quod cederet in injuriam Religionis.

Dico 2. (Ibid. ad 3.) Extra duos casus præcedentis conclusionis, aliquem membro mutilare est omnino illicitum; proindeque nec pro vita spirituali, aut vitando quocumque peccato id licet. Unde Can. 22. inter illos, qui adscribuntur Apostolis, dicitur: Si quis abscedit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virginitatem, non fiat Clericus, quia scilicet homicidii est, & Dei conditionis inimicus. Prob. 1. ratione. Homo, sicut nec vitæ, ita nec membrorum est dominus, sed custos tantum, vita enim totius ex membris constat, & omnibus inest sed solus Deus, vitæ & membrorum conditor & conservator, est illorum dominus: ergo injuriam Deo facit, qui membrum nec Republicæ, nec corpori nocivum abscondit. (Ib. o.) Item facit injuriam communitati, cuius est ipse homo & omnes ejus partes. Prob. 2. (Ibid. ad 3.) Membrum non est præcedendum propter salutem corporalem, nisi quando aliter toti subveniri non potest; atque salutem spirituales semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem, quia peccatum subiacet voluntati: ergo nec pro vita spirituali, &c. Confirm. Eviditur, de qua potissimum est questio, prosum inutilis est ad vitandum peccatum, cum non tollat tentationes carnis, sed dumtaxat impedit generationem. Quin imò juxta SS. Patres Chrysost. Aug., Basilium, Cyrillum & alios evirati facilius incallescunt, & acris libidine titillantur, & cum aliunde remedio conjugii uti non possunt, in majori periculo peccati & salutis versantur: ergo.

Dices 1. Matth. 18. dicit Christus: Si manus tua, vel pes scindatur te, abscede eum & projice abs te. Et c. 9. Sunt cauchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Cælorum. ergo. R. Hæc verba non physicè, sed moralitèr esse intelligenda: prima de abscessione omnis occasionis peccandi: etiam si nobis esset æquè necessaria ac manus, vel pes. Posteriora de voluntario ac firmo proposito, vel voto castitatis servanda. (Ib.) Unde Chrysost. Hom. 63. in Matth. exponens hæc verba dicit: Non per membrorum abscessionem sed per malarum cogitationum interemptionem: maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscondit; etenim homicidæ sunt, qui talia præsumunt. Moritò itaque ab omnibus reprehenditur Origenes, quod metui incontinentiæ seipsum castraverit: ob quod facinus Demetrius Alexandrinus Episcopus ejus ordinationem impugnavit: jure, an injuria, discutietur in Digressione historica ad calcem Dissertationis.

Dices 2. Praxis est, saltem tolerata, in pluribus Provinciis, præsertim in Italia, qua parentes pueros suos, consentientes evirati curant, ut servant sonorant vocem, cautandis Dei laudibus aptiores, & ut inde emolumentum sustentationi necessarium comparent: ergo. R. Quòd, quamvis hæc praxis quibusdam Theologis probetur, nobis tamen & pluribus aliis videtur illicita: quia universalitèr verum creditur cum Auctore, nemini licere se mutilare nisi ad conservationem totius, & non ob alium finem nimis necessarium, qualis est is, qui proponitur. Adde, quòd hinc varia salutis pericula videantur, ut dictum est supra.

Dices 3. Ex Historia Ecclesiastica S. Marcus sibi pollicem amputavit, ne fieret Sacerdos. In vita S. Pauli Eremitæ apud S. Hieron. legitur, quemdam juvenem ligatum in molli lecto sibi abscondisse linguam, & expulsi in faciem meretricis ipsum ad turpia excitantis: ergo. R. Hos & alios similes id fecisse, vel ex ignorantia invincibili, vel ex inspiratione divina; alii non sunt excusandi. Adverte insuper, hanc S. Marcum non esse Evangelistam, sed quemdam Anachoretam, ut probat Caronius ad ann. 45.

#### §. II. De Verberatione.

Dico: (Hic a. 2. o. & ad 2.) Non cuique licet alterum verberare causa correctionis & disciplinæ; sed id licet patri respectu filii, domino respectu servi: non tamen illis licet occidere, aut mutilare. Prob. 1. pars. (Ib. o.) Verberare aliquem non licet nisi habenti potestatem aliquam in illum, qui verberatur; atque non cuique competit potestas in alterum, sed competit patri in filium, domino in servum: ergo. Prob. major: Verberare est nocuum inferre, est enim sensum dolorem afflicere: nocuum autem alicui inferre non licet nisi per modum poenæ proprie Theol. Billaart. Secunda Secunda.

tèr justitiam; atque nullus poenit aliquem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus: ergo. Unde Prov. 13. dicitur: Qui parat virga, odit filium suum: & infra 23. Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga pecunies eum, & animam ejus de inferno liberabis. (Ib. in a. s. c.) Idem dicendum de magistris erga discipulos, funguntur enim potestate paterna. De Prælati verò erga subditos non est dubium; gaudent enim potestate publica juxta suas Leges.

Prob. 2. pars (Ibid. ad 2.): Coercere, seu punire per mutilationem & occisionem, quæ inferunt damnum irreparabile, requirit perfectam potestatem; major enim coactio exigit majorem potestatem; atque Pater & Dominus non habent perfectam potestatem: ergo. Prob. min. Sicut Civitas est perfecta communitas, ita Princeps Civitatis habet perfectam potestatem coercendi: ergo, cum familia, cui præsertim Pater & Dominus, sit imperfecta communitas, Pater & Dominus habent imperfectam potestatem coercendi: ergo. Si dicas, posse conigere, ut liberorum institutio, quæ Parentibus competit, exposcat aliquandò occisionem, aut mutilationis vindictam, ut accidit Adæ respectu Cain fratricidæ, si Deus ipsi non pepercisset. R. Quòd Jus naturæ non concedat Parentibus talem vindictam, sed soli publicæ potestati, ad quam confugere possunt Parentes, idque Jure Gentium firmatum est. Non enim debuit vita hominis passim committi his, qui ut plurimum Leges nesciunt, & unde Parentibus educare filios natura concessit, ut tamèn lineam præscriperit quò usquè sua facultas procederet, & unde publica inciperet, ut statuitur in Jure L. Si Filius C. De patr. potest. lib. 8. tit. 47. & L. Prætor ff. de iurjurando §. præterea. Id tamen speciale fuit in primo Parente, quòd non solum patriam, sed & publicam potestatem haberet ratione domini orbis, quòd penes ipsum tunc temporis erat; sed, aucto genere humano, & per familias distributo, unaquaqueque habet suum Principem.

Petes 1. Utrum Parentes possint verberare filios, aliasve similes poenas leviores, sive privativas, sive positivas, illis infligere, non solum causa correctionis & disciplinæ, sed etiam amore Justitiæ, scilicet rependendo poenam debitam & congruam culpæ, in quantum se extendit eorum potestas, ut sic rectus ordo servetur, & quòd extra ordinem recti prolapsus est, ad ordinem revocetur, quòd est finis intrinsecus Justitiæ vindicativæ, quem intendunt Judices, & quem Deus intendit, & obinebit in fine mundi? Respondendum existimo affirmativè; quia finis est bonus, & non deest legitima potestas, Confirmatur: unicuique licitum est appetere, ut id fiat per legitimam potestatem; ergo id per seipsum præstare potest, qui hac legitima potestate fungitur. Quapropter, sicut publica potestas hunc finem intendit & assequitur in majoribus criminibus per graviores poenas, sic potest patria potestas in minoribus culpis per leviores poenas: unde non probo illos, qui dicunt Parentes non posse punire filios causa vindictæ, quia iniquitèr vindicta reservatur Deo: quasi non ipse Deus vindicet, quæ vindicta potestas ab eo constituta, sive publica, sive domestica, unaquaque in suo ordine, & intra suos limites. Idque innuit S. Th. dum hic docet, Parentes posse verberare filios per modum poenæ propter Justitiam. Porro punire propter Justitiam est punire, ut sit æqualitas inter poenam & delictum; punire autem propter correctionem & emendam delinquentis non est actus Justitiæ, sed charitatis, juxta illud Proverb. Quem diligit Deus, corrumpit.

Petes 2. Utrum liceat Parentibus verberare filios in Sacris constitutos, absquè eo quòd incurant excommunicationem Canonis Si quis. &c. R. probabilis affirmativè cum Sylvestro; Wynnes, Navar. Soto, Sylvio &c. modò tamen moderatè fiat juxta usum communiter receptum. Quia id conceditur Magistris in discipulos c. Cum voluntate. De Sententia excomm. & c. Et tenere eod. tit. ergo a fortiori Parentibus in filios. Dixi: Modò tamen moderatè fiat, quia, si enormitèr excederent, incidere in Canonem. Non est autem censendus enormis excessus, si castigatio bono animo & secundum usum communem facta aliquantulum excedat etiam cum effusione sanguinis, cum sit difficile in his nullatenus limites excedere. Porro ad dignoscendum, quando excessus est enormis, vel levis, attendi debet ad qualitatem corrigentis & corrigendi, ad qualitatem & quantitatem culpæ, ad finem & modum correctionis, & similia; non enim una omnibus adhibenda est correctio.

Si curiosus ultra interroget, utrum maritus habeat jus verberandi uxorem? R. id non posse omnino negari, si uxor gravitèr delinquens alia via corrigi non possit, & speretur mediocri verberatione corrigenda; quia juxta A-

post. Vir est caput mulieris, & ipsa est sub potestate viri. Sed, extra hunc casum gravis & rare necessitatis, inhumanus est, ac barbarus vir, qui utens uxore quasi mancipio illam verberat; sunt enim duo in carne una. De Fratere autem natu majore dicimus non ipsi licere verberare Fratres minores, nisi id ipsi sit commissum a Patre, aut nisi mortuo, vel absente Patre gubernet familiam, quia primogenitura non confert illi tale jus.

### §. III. De Incarceratione.

**D**ico 1. (Hic a. 3. o.) Aliquem simpliciter incarcerare est illicitum, nisi fiat per publicam potestatem secundum ordinem Justitiæ in poenam, vel cautelam peccati. Ratio est; (Ib. ad 3.) quia aliquem simpliciter incarcerare ad eum solum perinet, qui habet disponere universaliter de actibus & vita alterius, cum per hoc impediatur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis; atqui disponere universaliter de actibus & vita alterius pertinet ad solam potestatem publicam secundum ordinem justitiæ: ergo. Dixi *incarcerare simpliciter*; quia superiores particulares, ut Patres & Magistri, possunt per aliquod tempus domi suæ detinere, seu recludere liberos, aut domesticos causa correctionis. (Ib. Imò detinere hominem ad horam ab opere illicito statim perpetrando, licet cuilibet privato: sicut, cum quis aliquem detinet, ne se precipitet, vel ne alium feriat. Quod etiam verum credimus, non solum si opus perpetrandum sit scandalosum, aut contra Justitiam, quod omnes concedunt, sed etiam si sit contra alias virtutes, ut si quis vadat ad fornicandum, ad se inebriandum; quia utrobique urget charitas, nec detentus potest conueni de injuria, cum id fiat in ejus gratiam; modo tamen in hoc ultimo casu non adhibetur nimia violentia.

Dico 2. (Ib. a. 4. o.) Qui prædictas injurias occisionis, mutilationis, verberationis, aut incarcerationis infert personæ aliquibus aliis conjunctæ, gravius peccat, ceteris paribus, quam si inferret personæ nulli conjunctæ; quia talis injuria pertinet ad plures. Quanto autem aliqua injuria redunt in plures, tanto gravius est peccatum ceteris paribus: unde gravius est peccatum, si quis percutiat principem, quam personam privatam; quia redundat in injuriam totius multitudinis.

### ARTICULUS X.

#### De irregularitate contracta ex homicidio & mutilatione.

**I**regularitas est impedimentum canonicum suscipiendi ordines, & in eis ministrandi. Per Ordines Cabassutius, Pontas, & alii intelligunt etiam tonsuram. Dicitur *impedimentum canonicum*; quia à solo Jure canonico est introductum, unde non incurritur nisi in casibus a Jure expressis C. 1. §. qui. De Sentent. Excomm. in 6. l. 5. tit. 11.

Insuper Navarrus in Man. c. 27. n. 251. quem sequuntur Cabassutius & Pontas, probat irregularitatem reddere etiam inhabilem ad obtinenda beneficia, licet non inducat jam adeptorum vacationem. Quia, inquit, inhabilis ad unum est inhabilis ad ei annexum; irregularis autem est inhabilis ad Ordinem & illius usum, & Beneficium requirit Ordinem & illius usum, quia datur propter officium.

Duplex distinguitur irregularitas. Una ex delicto, hæc est poena, quæ a pluribus communerat inter censuras. Alia ex defectu propter indecentiam. In irregularitate ex defectu non dispensat Episcopus nisi cum legitimis & legitimis ad solos minores Ordines, & simplex Beneficium. Ità post Auctorem, (In 4. d. 27. q. 3. a. 3. o.) Sylvest. Asor. Cabassutius citans in idem decisionem Rotæ 447. In omnibus autem irregularitatibus ex delicto dispensat Episcopus, quando delictum est occultum, nec deductum ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario, etsi occulto. Trid. Sess. 24. c. 6.

#### §. I. De Irregularitate contracta ex homicidio licito.

**D**ico 1. Omnes, qui concurrunt directè & proximè ad justam occisionem, vel mutilationem effectum secuto, saltem ut ministri Justitiæ & ex officio, aut militantes in justo bello, sunt irregulares. De militantibus, infra. Dixi 1. *Qui concurrunt directè & proximè*, non qui indirectè & remote tantum, quia odiosa sunt restringenda. Non est autem hæc dicenda causa indirecta & remota, quæ aliis mediantibus inluit in mortem, alioquin Juxta ferens sententiam mortis non foret irregularis, cum non occidat nisi mediantibus inferioribus ministris; sed dicitur causa indirecta & remota, cujus effectus terminatur ad alium finem, quam ad mortem, aut mutilationem,

& ex quo sine non sequitur per se mors, aut mutilatio; ut dum Juxta Ecclesiasticus v. gr. dimittit a sua jurisdictione reum, & potestati seculari tradit. Dixi 2. *effectum secuto*; quia, nisi reipsa sequatur mors, aut mutilatio, quantumvis eam intendat, aut in eam conetur, non est irregularitas in Jure, quæ fertur dumtaxat in occidentes, aut mutilantes. Et ea etiam ratione Juxta condemnans ad trirèmes, ad flagella, ad perpetuum carcerem, aut ad id concurrentes, non sunt irregulares. Dixi 3. *Saltem ut ministri Justitiæ & ex officio, aut militantes in justo bello*. Quia disputatur inter Theologos, an ii, qui non sunt ministri Justitiæ, nec milites in bello justo incurrant irregularitatem, si concurrant ad occisionem, aut mutilationem justam. Affirmant multi præsertim ex antiquioribus; negant plurimi. Diana apud Sporer citat triaginta & ultra negantes; quorum hæc est ratio non contentenda: Irregularitas, ut ex dictis patet, & omnium consensu certum manet, non incurritur, nisi in casibus Jure expressis; atqui irregularitas ratione occisionis, aut mutilationis justæ non est expressa in Jure nisi contra ministros Justitiæ, aut contra milites in bello justo: ergo. Minorem, in qua est difficultas, probant inductione omnium textuum, quibus nituntur alii probare oppositum; & qui, si attentè legantur, inquit, non nisi de ministris Justitiæ loquuntur, aut de militantibus in bello justo.

Præcipui sunt 1. Can. *Sententiam tit. Ne Clerici, vel Monachi* Extra l. 3. tit. 5. ubi sic legitur: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dicet, aut proferat, sed ne sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit... Ne quisquam Clericus litteras dicet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas: unde in Curia Principum hæc sollicitudo non Clericis sed Laicis committatur.* Verum 1. in hoc textu nulla fit mentio irregularitatis, sed est simplex prohibitio. 2. Dato quod intelligatur irregularitas, hæc particula: *Sententia sanguinis proferat... Sanguinis vindictam exerceat... In Curia Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committatur.* Hæc, inquam, particula aperte indicat, sermonem esse de iis, qui agant ex officio.

2. Proferitur declaratio Clementis IV. apud Abbatem, qua definitur Clericum quemadmodum ex jussu sui Principis legentem litteras, quibus monebatur Princeps, ut quemdam latronosum in tali loco latentem capi juberet (captum est & occisus) esse irregularem. Sed 1. Hæc declaratio non reperitur in Jure, nec est authentica. 2. Non constat, hunc Clericum non fuisse Principis ministrum in omnibus obsequiis etiam criminalibus obediendis. 3. Proferitur C. *Si quis viduam* dist. 50. Sed ibi nomine homicidii intelligitur occisio injusta; quia homicidium regulariter sumitur pro occisione injusta: non enim Juxta v. gr. dicitur homicida, quod reum justè damnaverit ad mortem. 4. Tandem proferri potest Decretum Nicolai Papæ C. *de Clericis* dist. 50. Quidam respondent, in eo agi de Clerico, qui se defendendo contra Paganum eum occiderat, non servato moderamine inculpate tutele; tum quia erant plures contra unum; tum quia dicitur, quod si per poenitentiam emendati fuerint, quod significat culpam. Sed quia S. Th. hic a. 7. ad hunc Canonem intelligit de eo, qui inculpate se defendendo alium occiderat, respondendum est; in hoc singulari casu latam olim fuisse irregularitatem hoc Jure antiquo, sed revocatum esse per Clementinam: *Si furiosus*.

Ita, inquam, hujus Sententiæ Patroni; quia etiam adferunt rationem congruam differentie inter ministros & non ministros Justitiæ, nimirum quod Justitiæ minister cum agat ex officio, quod spontè suscepit, agit quasi ex habitu, semper paratus ad similes servitias; quod magis redolet inhumanitatem: & magis alienum est a lenitate Christi, quam qui uno forte actu & non ex officio tale quid agit. Unde congruentius ille remouetur ab altari, quam iste.

Conclusio sic explicata prob. ex c. *Aliquantos* dist. 51. ubi sic legitur: *Aliquantos ex his, qui post acceptam Baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pernicitiam susceperunt, acriter esse ad Sacerdotium compertimus... Aliquantos ex militia, qui, cum potestatibus obediunt, sæva necessitate præcepta sunt executi: aliquantos ex curialibus, qui, dum parent potestatis, que sibi sunt imperata, fecerunt... ad honorem summi Sacerdotii pervenisse; quorum omnium veniam ne ad societatem quidem ordinis Clericorum oportuerat pervenisse... Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestre maturitas providere debbit, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, ut quicumque sales ordinati fuerint, cum ordinationibus suis deponantur.*

Hic itaque associari ordini Clericali pronuntiantur indigni, & promovendi prohibentur. 1. Qui in forensi exerci-

ratione pro causa scilicet sanguinis versati sunt, & obtinendi pernicitiam susceperunt, id est, patrocinii suis & aliis ministris obtinuerunt effectum sanguinis, aut curiales ministri ex mandato ad necem vel mutilationem cooperati sunt, quales sunt Judices, eorum Assessores, Accusatores, Denunciatores, Advocati contra reum, Testes, Apparitores, Notarii, Tabelliones, Tortores, Custodes &c. 2. Qui militie justæ adscripti sæva præcepta occidendo, aut mutilando executi sunt.

Sic saltem Canonistæ intelligunt præfatum Canonem, in quo minus obscure, quam in aliis, exprimitur asserta conclusio, quamvis juxta quosdam nondum satis clarè exprimat. Ceterum legitimus sensus Juris, inquit Jo. a S. Th. est communis interpretatio Doctorum: communiter autem Doctores intelligunt & interpretantur, irregularitatem contra præfatos esse latam in Jure, sive in laudato textu; sive in alio. Adde, quod talis sit sensus & praxis totius Ecclesie, ut patet ex dispensationibus petitis & concessis in dictis casibus.

#### Observanda circa Judices.

**P**otest tamen Princeps, etiam Ecclesiasticus; aut Juxta supremus, absquè irregularitatis nota, constituere, seu delegare Judices inferiores in causa sanguinis, eis jubere, ut debite officio suo fungantur: condere leges importantes poenam mortis in delinquentes, immò Judicibus mandare, ut in hoc particulari casu inquirent, secundum leges judicent, fiat Justitia, servetur ordo Juris & alia hujusmodi generalia; non tamen ut hunc reum morti addicant: quia primo modo est concurrere generaliter tantum & remote, secundo modo particulariter & proximè. Siquè decernitur cap. *Episcopus* tit. *Ne Clerici, vel Monachi* 24. l. 3. in 6. Potest etiam Princeps Ecclesiasticus sine irregularitate moderari sententiam, sic ut comburendus gladio plectatur; quia hoc non est inferre mortem, sed partem supplicii auferre.

Item possunt Judices Ecclesiastici & Inquisitores absquè irregularitate tradere Justitiæ seculari reum sive Laicum, sive Clericum degradatum, quamvis sciant esse morte plectendum. Eadem semper ratio; quia hoc non est nisi indirectè & remote concurrere ad mortem; siquè Ecclesia jubet fieri c. *Novimus de verborum significatione* 4. Extrav. l. Est insuper Bulla specialis Pauli IV. Data 29. Aprilis 1557. concedens Cardinalibus facultatem tradendi reos brachio seculari absquè periculo irregularitatis; quam Bullam Pius V. extendit ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios & Consultores, ut refert Jo. a S. Thoma post Medina.

Jubentur tamen Judices Ecclesiastici cap. *Novimus cit. Efficaciter intercedere, ut, circa mortis periculum, circa reum sententia moderetur.* Verum ista intercessio non jubetur, nec adhibetur, ut reus bono communi nocivus absolute absolvatur, sic enim foret iniqua intercessio: sed ut explicetur piissimus Ecclesie animus, qui non est, ut reus poena mortis afficiatur, sed quod potius absolvatur; si possibile esset, & ferret bonum commune: siquè est efficax hæc intercessio, si non ad liberandum reum a morte, ad ostendendum istum piùm affectum Ecclesie.

Similiter Doctores, Concionatores, Confessarii possunt absquè metu irregularitatis hortari Principes & Judices, ut delicta non ferant impunita, ut legibus mortiferis ea coercerent; interrogati super casum particularem respondere possunt, illum juxta leges esse dignum morte, modo tamen non consulant hunc reum in individuo morte puniri. Imò Confessarius potest Judicem alioquin mortaliter peccaturum, non solum hortari, sed & adigere per denegationem absolutiois, ut officio suo circa reum detentum satisfaciatur, non tamen ut hunc determinatè condemnet. Potest etiam suadere reo, & ipsum cogere, ut juridicè interrogatus crimen suum fateatur, licet inde mors sit secutura. Similiter potest illum inducere, ut justæ sententiæ acquiescat, si non possit justa appellatione illam prolatare.

Præter rationem jam sæpè dictam, quod hoc non sit proximè & directè concurrere ad necem, sed indirectè tantum & remote; altera ratio est, quia non est credibile, quod Ecclesia voluerit ponere obicem irregularitatis, quominus hi omnes debite fungantur suo officio, & bono communi secundum naturæ legem provideant, neque in hoc ulla videtur indecentia. Nec simile est de Judice, qui, quamvis etiam ex debito officii ac naturæ lege teneatur reum damnare, incurrit tamen irregularitatem, quia iste directè concurrat ad mortem, & in eam necessitatem se voluntarie injecit spontè suscipiendo officium Judicis, ex quo quasi ex habitu agit, quod magis redolet inhumanitatem, & magis alienum est a mansuetudine Christi, Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

ut jam supra observavimus. Posset addi altera ratio juxta sententiam plurimum probabilem, de qua supra, quod hi omnes non agant ut Ministri Justitiæ, in quos solos vult hæc opinio latam esse irregularitatem.

#### Circa Accusatorem & Testem.

**A**ccusans, aut denuntians in propria causa, hoc est, petens satisfactionem de injuria sibi sive rebus illata per actionem civilem, non est irregularis, si denuntiando, aut accusando expressè protestetur se non intendere mortem, aut mutilationem. c. *Prelatis* 2. tit. *de Homicidio* 4. l. 5. in 6. Hæc autem protestatio, si fiat a Teste, nihil ipsi prodest; quia non testatur nisi in causa aliena. Prodest tamen Clerico accusanti in causa suæ Ecclesie, quia reputatur sua. Item civis accusanti, seu denuntianti imminetem proditorem Patriæ; quia causa Patriæ est causa omnium. Utrum autem, qui accusaret, aut denuntiaret malum non factum, sed faciendum & imminens alicui privato, quod aliter vitari non potest, incurret irregularitatem? Negant Cajetan. Suarez & alii apud Joann. à S. Th. quia ad id obligatur Jure naturæ, nec Ecclesia censetur, ut jam dictum est, velle ponere obicem irregularitatis, quominus adimpleantur ea, quæ sunt obligationis naturalis: nec simile est de Judice, ut jam notavi. Idem propter eandem rationem plures resolvunt de teste, qui præcepto compulsus cogitur testificari de facto. Adduntque, in hoc & præcedenti casu non esse necessariam protestationem; quia protestatio est introducta a Jure, ut remove-ret irregularitas ubi foret incurrenda; in hoc autem, inquit, utroque casu, ubi urget obligatio accusandi vel testificandi, nunquam incurrenda est irregularitas. Ità Avila & alii apud Layman & Sporer. Sed de eo, qui metu gravi coactus testificatur, aut accusat in causa aliena de injuria jam illata, majus dubium est. Quidam negant esse irregularem; quia, inquit, præceptum Ecclesiasticum non obligat in tanto discrimine. Verum inquit alii, non agitur hic de irregularitate, quæ sit poena propter culpabilem transgressionem præcepti, sed quæ sit propter indecentiam, quæ videtur reperire in eo, qui accusat, aut testatur metu coactus, quia est simpliciter voluntarius. Ità Henriquez, Suarez, & alii, quos citat & sequitur Sporer.

Nota differentiam inter Clericos & Laicos concurrentes ad mortem, vel mutilationem justam; quod Laici incurrant quidem irregularitatem, sed non peccent: Clerici autem saltem sacri aut beneficiarii, & irregularitatem incurrant, & graviter peccent, quia id ipsis est strictè prohibitum C. *Sententiam* tit. *Ne Clerici* 50. Extra. lib. 3. Qui verò ex curiositate, vel levitate adissent executioni modo sua presentia auctoritatem non præbeant, non peccarent mortaliter, nec essent irregulares.

#### Circa Advocatos & alios concurrentes ad justam necem, vel mutilationem.

**D**ico 1. Advocatus Rei, manens intra terminos defensionis, non incurrit irregularitatem, etiamsi contingat reum aliunde convictum mandari, aut accusatorem causa cadere & poena talionis plecti. Quia primum non sequitur ex ejus patrocinio: secundum non nisi indirectè & remote. Incurreret tamen; si directè agat ad punitionem accusatoris, effectu secuto; aut si reum defendat in causa injusta, & inde accusator causa cadens morte, aut mutilatione muletetur: in hoc ultimo casu irregularitas foret ex delicto.

Hic notant communiter Auctores, quod tam Advocati, quam alii Officiales in causa sanguinis, etiam effectum non secuto, sint irregulares, non quidem simpliciter, sed tantum quando durat eorum officium; quo deposito, desinunt esse irregulares, & possunt promoveri ad Ordines.

Opifices, qui furcas, rotas, patibula, funes, scalas conficiunt, aut vendunt, etiam immediatè ante executionem, non sunt irregulares, quia indirectè tantum & remote concurrunt ad mortem; secus, qui ad locum supplicii applicant, aut deferunt saltem ex officio, quia concurrunt proximè & directè ad mortem. Dico; *saltem ex officio*, propter sententiam probabilem supra expositam, juxta quam privati, qui hæc agerent, non incurrent irregularitatem; sicut nec qui privatum, & non juridicè, rogaret & urgeret judicem, ut reum morti addicat, vel excitaret procuratores, aut cognatos partis læsæ, ut petant fieri justitiam & vindictam sanguinis in lædentem. Juxta eandem Sententiam non foret irregularis Confessarius, vel alter privatus, qui euntem ad supplicium hortaretur, ut citius aut per viam breviorē incedat, ut ascendat scalas, qui ipsum se extentem adjuvaret, &c. Imò Layman, quamvis oppositam Sententiam teneat, præfatum tamen ab irregu-

laritate excusat, sed alia ratione, scilicet, quia inquit, quamvis sit hic quaedam mortis acceleratio, est tamen levis, & parum pro nihilo reputatur. Libr. 3. t. 3. c. 7. n. 2.

Dico 2. Omnes sponte militantes in bello justo, sive offensivo, sive defensivo, si per seipsos mutilent, aut occidant, sunt irregulares. Est communis & habetur Can. Aliquantos cit. & c. *Petitio tua* 24. tit. de hom. Extra l. 5. Dixi 1. *Spontè militantes*: Quia, si necessitate defendendi Patriam compulsi militent, licet per se mutilent, aut occidant, servato moderamine inculpatae tutelae, probabilis non incurrit irregularitatem. Colligitur ex Clementina *Si furiosus* de qua modo: suadet etiam ratio, de qua jam saepe. Non enim videtur rationi consentaneum, quod lex positiva irregularitatis obstat adimpletionem praecepti naturalis, neque in hoc ulla videtur indecentia, ob quam contrahatur Canonium impedimentum. Ita tenent Jo. a S. Thoma post plures alios. Si opponas Can. cit. *Petitio tua*, ubi iudicatur Clericus irregularis, si in bello contra hostes fidei, Patriam invadentes, aliquem occiderit: R. Ita iudicari, quia supponebatur, sine urgente necessitate conflictum inivisse, cum adessent Laici, qui hostes possent reprimere: Clericis enim prohibuitur est bellare, nisi ex inevitabili necessitate. Dixi 2. *Si per seipsos mutilent, aut occidant*, id est, non solum si ipsi occidant, sed etiam si proximè concurrant ad mutilationem, vel occisionem v. gr. jubendo hunc occidi, praebendo arma ad hunc occidendum. Secus, si sic per seipsos non occidant, aut mutilent, sed concurrant tantum generaliter; quamvis ab aliis quidam occidant, aut mutilentur. Est communior & colligitur aperte ex Can. *Petitio tua* cit.

Dico 3. Omnes militantes, & quolibet modo cooperantes in bello injusto, in quo patrat sunt homicidia, vel mutilationes, sunt irregulares, etiam si per seipsos non occiderint, aut mutilaverint. Est communis, & constat ex c. *Sicut dignum* §. ultimo tit. cit. de homicidio. Et ratio est; quia omnes censentur una causa totalis. Illaque irregularitas est ex delicto.

Dico 4. Qui mortem aliter non valens vitare, sum occidit, vel mutilat invasorem, nulla ex hoc irregularitatem incurrit. Ita expressè Clement. *Si furiosus* l. 5. tit. de hom. 4. his verbis: *Si furiosus, aut infans, sen dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui, mortem aliter non valens vitare, sum occidit, vel mutilat invasorem.* Hoc itaque Jure novo explicatur, aut emendatur Jus antiquum, si quod fuerit, ut S. Th. hic a. 7. ad 3. videtur supponere fuisse, deoerens irregularitatem pro praesenti casu. Neque audiendus est hic Doctor Daelman, dum docet contra communem Canonistarum sensum, per hanc Clementinam occidentem in casu non eximi ab irregularitate ex defectu, sed dumtaxat ab irregularitate ex delicto; singularis est ista interpretatio, & directè contradicit Textui, qui nullam prorsus declarat incurri irregularitatem: Relegatur.

Nec obstat Trid. sess. 14. de Ref. cap. 7. ubi sic legitur *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defendat, fuisse commissum narratur, quam ob causam... jure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci ordinario*, &c. Sensus enim hujus Decreti non est absolutus, ut patet, sed conditionatus, si nempe qui occidit vim vi repellendo indigeat dispensatione, quia forte non servavit moderamen inculpatae tutelae, committitur Ordinario.

Petes, utrum, qui servato moderamine occidit injustum invasorem vite proximam, eximatur etiam ab irregularitate? R. sub distinctione. Si ad eam defensionem sit rigorosè adstrictus, puta, quia invasus est Pater, Mater, Uxor, Proles, aut Persona Reipublice pernecessaria, videtur eximi. Colligitur ex Clementina cit. cum sit eadem, imò major ratio excusandi defendentem vitam proximam ad quod tenetur, quam defendentem vitam propriam ad quod non tenetur. Insuper, ut jam saepe dixi, non est existimandum Ecclesiam voluisse nota irregularitatis inurere eos, qui praecipuo Jure naturae satisfaciunt, nec in hoc videtur indecentia, ob quam contrahatur impedimentum Canonium. Aliud est, ut etiam jam saepe dixi de Judice, carnifice, & aliis ministris Justitiae, qui spontè susceperunt tale officium, quo obligantur ad inferendam mortem data occasione.

Si autem ad istam defensionem Lege Justitiae, vel pietatis non adstringatur, nulla videtur ratio ipsam eximens ab irregularitate: nisi recurras ad Sententiam Recentiorum, juxta quam soli ministri Justitiae & militantes in bello justo contrahunt irregularitatem ex occisione justa.

### §. II. De Irregularitate ex homicidio illicito.

Dico? Ex omni homicidio illicito plene voluntario, sive directè, sive indirectè, incurritur irregularitas. Ita toto titulo de homicidio. 12. Extr. l. 5. Disparitas est tamen, quod, quando homicidium est directè voluntarium, scilicet volitum in se ut finis, vel medium, seu etiam ut effectus per se necessarè secutus ex causa, irregularitas sit a solo Papa dispensabilis, Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. Quando autem homicidium est solum voluntarium indirectè, ut effectus per accidens ex causa posita secutus, sed praevius, irregularitas est dispensabilis ab Episcopo, modo casus non sit deductus ad forum contentiosum. Ratio est; quia homicidium directè tantum voluntarium, quamvis reverà sit voluntarium, in Jure tamen non dicitur voluntarium, sed casuale, ut patet toto titulo cit. de homicidio. Undè, quando Trid. mox cit. declarat homicidium voluntarium esse a solo Papa dispensabile, intelligit de voluntario directè, non autem de voluntario indirectè. Et conclusio intelligenda est, non solum de occidente per se, sed de omnibus positivè concurrentibus ad homicidium injustum, quales sunt jubens, consulens, & alii, ut supra de Restit.

Dixi: *ex homicidio plene voluntario*, quia, si esset imperfectè voluntarium ex indeliberatione, ita ut foret tantum peccatum veniale, non putamus, quod incurretur ulla irregularitas: non irregularitas ut poena, quia tanta poena non imponitur nisi gravi peccato, neque ut impedimentum canonicum; quia indecentia, propter quam contrahitur, non videtur gravis, cum sit imperfectè voluntaria. Plures tamen negant hanc 2. partem, quando homicidium sequitur ex actione aliunde illicita, ut dicam §. seq.

Petes 1. Utrum etiam concurrentes negativè ad homicidium, ut non obstantes, non manifestantes, &c. quando impedire tenentur, incurrant irregularitatem? R. 1. Concurrentes merè negativè, non incurunt irregularitatem, si non teneantur impedire ex Justitia, sed ex charitate tantum, aliave virtute. Ita communiter... Quia, qui non impedit homicidium, quando non tenetur impedire ex Justitia, sed ex charitate tantum, non est reus homicidii propriè dicti; quia homicidium propriè dictum est contra Justitiam. Lex autem irregularitatis cum sit odiosa, restringenda est ad homicidium propriè dictum, injustum scilicet. R. 2. Concurrentes negativè ad homicidium, hoc est, non impediens, quando tenentur impedire ex Justitia, probabiliter sunt irregulares; quia haec negativa cooperatio est vera moralis causa homicidii, si non physicè, saltè imputativè influens. Verum non desunt, qui hos etiam eximunt ab irregularitate; quia, inquit, nunquam exprimitur in Jure irregularitas contra negativè concurrentes: ergo, cum sit odiosa, intelligenda est dumtaxat de concurrentibus propriè, hoc est, influens positivo, & non extendenda ad concurrentes improprie & imputativè tantum, quales sunt concurrentes negativè. Hæc Sententia, supposita veritate antecedentis, nobis multum arridet. Et puto, in praxi vix, aut ne vix quemquam reputari irregularem, eò quod non impediverit homicidium, licet debuisset ex Justitia.

Petes 2. Quid censendum in dubio contractæ irregularitatis? Quæstio difficilis propter diversas Pontificum resolutiones, & varias in iis explicandis Auctorum opiniones. Equidem sunt principia Juris communia: *In dubio neminem esse condemnandum; in paenis benigniorem interpretationem esse faciendam; odiosa esse restringenda*, & similia, quibus utuntur Theologi in aliis materiis odiosis; at in hac obstant plures Canones. Undè R. 1. Quando constat de homicidio perpetrato, dubitatur autem, an ex tua actione secutum sit, censis irregularis; quia sic staterunt SS. Pontifices in pluribus Canonibus tit. de homicidio l. 5. C. *Ad audientiam* C. *Significasti* 2. C. *Petitio tua*: &c. R. 2. Quando dubitatur, an ipsum homicidium sit reipsa perpetratum, etsi certò constet de causa sufficiente a te posita: v. gr. certò scis, te vulnerasse Petrum, te explosisse in hostem, sed dubitas, an Petrus, an hostis sit seipsa occisus, probabiliter non est censendus irregularis. Idem dic, si sit dubium fundatum de Jure, nimirum utrum sit pro tali facto, puta pro abscissione mamillae, decreta in Jure irregularitas. Quia, cum Canones laudati & alii statuunt irregularitatem in iis solis dubiis, in quibus constat de homicidio, & dubitatur de causa illius; pro aliis dubiis currunt superiora Juris principia, scilicet: *In dubio neminem esse condemnandum; Odiosa esse restringenda; Irpaenis benigniorem interpretationem esse faciendam; Nullam*

lam incurri irregularitatem, nisi sit expressa in Jure, &c. Ita Sporer post plures alios, & Layman ex parte. Dixi: *si sit dubium fundatum de Jure*: alioquin, si quis privatus infundatè dubitet, aut etiam si ignoret quamvis invincibiliter irregularitatem esse annexam tali facto, quæ tamen sit expressa in Jure, eam incurrit, quia non tantum est poena, ut excommunicatio, quæ probabilis non incurritur ab ignorantibus; sed est Canonium impedimentum, quod incurritur etiam a nescientibus, ut patet de impedimentis matrimonii.

### §. III. De Irregularitate ex homicidio casuali.

Jam notavi supra, homicidium in Jure dici casuale, non solum quando non est ullo modo voluntarium, sed etiam quando non est voluntarium directè & in se, licet sit fortè voluntarium indirectè & in causa. Primum est casuale simpliciter & absolute, secundum casuale mixtum & secundum quid. Certum est 1. quod homicidium simpliciter & absolute casuale non inducit irregularitatem, quia nullo modo est voluntarium; irregularitas enim lata in homicidium, sive justum, sive injustum supponit illud esse aliquo modo voluntarium, ut constat ex Jure C. *Sepè contingit* d. 50. C. *Dilectus* C. *Ex Litteris* C. *Joannes*. De homicidio. 12. l. 5. & alibi. Certum est 2. Homicidium casuale mixtum inducere irregularitatem; quia est aliquo modo voluntarium, indirectè scilicet & in causa. Patet ex §. præced. Hinc

Sequitur 1. Qui dat operam rei licite, ex qua præter intentionem formalem sequitur homicidium, si adhibeat diligentiam debitam, non incurrit irregularitatem; si non adhibeat, incurrit. Quia in 1. casu homicidium non est voluntarium, in 2. est voluntarium indirectè. Sequitur 2. Qui dat operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem formalem sequitur homicidium. Si sit illicita, non quia est periculosa & inductiva mortis, sed aliunde, & adhibita fuerit sufficiens diligentia, non est irregularis; quia tale homicidium non est voluntarium. Si verò res sit illicita, quia est periculosa & inductiva mortis, incurrit irregularitatem, si non obstante diligentia res remaneat periculosa, quia homicidium est voluntarium in causa. Si tamen eam adhiberet diligentiam, qua periculum omnino abstergeretur, probabiliter existimamus, quod non foret irregularis in foro conscientie, quia tunc homicidium non foret voluntarium. In foro tamen exteriori reputatur irregularis propter praesumptionem negligentiae. Hæc omnia constant ex dictis a. 8. de *Homicidio casuali*. Require ibi.

Sed petes, utrum, si negligentia in adhibenda cautela fuerit tantum venialis, proindeque veniale peccatum homicidii casualis, incurritur irregularitas? R. Conformiter ad ea, quæ jam dixi §. præced. Si homicidium sequatur ex re licita, probabilis non incurrit irregularitas; ita Sylvius post Soto, Bannem, & alios. Si sequatur ex re illicita, probabile est etiam non incurri. Primo eruitur ex c. *Quæstionum* tit. de Penitentis & Remiss. 38. l. 5. ubi Clemens III. de Sacerdotibus Graecis Matrimonio junctis dicit: *Quod, si ipsi procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lectis reperiantur oppressi, ab officio Allaris debent perpetuò abstinere.* Ex quo sequitur a contrario sensu, quod non debeant abstinere, si negligentia eorum non fuerit studiosa, sed levis.

2. Prob. ratione: quia hæc irregularitas, vel est poena, quæ incurritur propter culpam homicidii, vel est impedimentum canonicum, quod contrahitur propter indecentiam occisionis: non enim quod bene advertas irregularitas, sive qua poena, sive qua impedimentum, contrahitur propter culpam præviã ad occisionem, aut propter indecentiam actionis præviæ, se propter ipsam culpam occisionis, vel propter ejusdem occisionis indecentiam. Si ergo consideretur ut poena, cum sit gravis, supponit gravem culpam: similiter, si consideretur ut impedimentum canonicum, cum sit grave, supponit gravem indecentiam; atqui ubi homicidium est imperfectè voluntarium, sive sequatur ex re licita, sive illicita, non est in se gravis culpa, est enim venialis tantum, neque gravis indecentia; est enim imperfecta, utpotè indirectè voluntaria: ergo.

Scio, opponi plures Canones, quibus videtur contrarium statui: ut c. *Continebatur* de Homicidio. cit. circa Clericos colludentes. c. *Ex litterarum* ibid. de Clerico immodestè saltante cum muliere prægnante, & alios; propter quos fateor, sententiam oppositam esse etiam probabiliter, & non infundatè a pluribus sustineri. Potest tamen responderi, hæc Jura supponere, vel præsumere negligentiam gravem, & spectare dumtaxat forum exterius.

Ex dictis colliges, eum, sive Clericum, sive Laicum, qui

ex charitate & bona fide agit circa infirmum ea, quæ communiter exhiberi solent infirmis, v. gr. ipsum veritè, ut quiescis jaceat; ipsum levat, ut cibum, aut potum commo-diù sumat; aliquid cibi, vel potus bona fide ei præbet, etiam inconsulto medico; ipsum transfert de lecto in lectum &c. seclusa lata culpa, non incurrit irregularitatem; si indè contra ejus voluntatem mors acceleretur. Ita Cajet. Sylvester, Soto, Navarr. Layman, & alii plures; contra quosdam nimis hac in re scrupulosos. Quia neque irregularitatem contrahit, quæ est ex delicto, cum ea præstando non peccet, aut non nisi levitèr. Neque eam, quæ est ex defectu lenitatis, cum non agat ex intentione mortis: ergo.

### §. IV. De Irregularitate ex Mutilatione.

Quæstio est de mutilante, non de mutilato, de quo alibi. Mutilatio autem est abscissio & separatio membri, non tantum ejus debilitatio, aut vulneratio. Dico 1. mutilatio inducit irregularitatem, sicut homicidium. Quod modo diximus irregularitatem contrahi ex homicidio sive justo, sive injusto, voluntario, vel casuali, sic contrahitur mutilatione sive justa, sive injusta, voluntaria, vel casuali. Ratio est; quia quoad irregularitatem contrahendam mutilatio in Jure equiparatur homicidio c. *Is, qui mandat* ult. de homicidio. tit. 4. l. 5. in 6. & c. *Porro* 1. de Clericis pugnantibus in duello. Extra. tit. 14. l. 5. Undè c. *Si quis dist.* 55. dicitur homicida, qui sibi virilia amputavit. Et ita unanimitè intelligunt omnes, tam Theologi, quam Canonistæ, post Glossam in Clement. de homicidio. Legimus autem sensus Juris, ut jam dixi, est unanimitè interpretatio Doctorum existimantium aliquid in Jure contineri.

Quidam tamen excipiendo putant causam mutilationis dubiæ: quia; cum SS. Pontifices declarent solummodo homicidium dubium, ut explicui §. 2. inducere irregularitatem, videtur statuendum de dubio mutilationis sicut de aliis debiis in materia odiosa juxta generalia principia Juris: de quibus §. cit.

Item quantum ad dispensationem, communior sententia tenet, irregularitatem ex mutilatione injusta, si sit occulta, esse dispensabilem ab Episcopo: quia Trid. sess. 24. de Ref. c. 6. concedens Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto, solum excipit homicidium; exceptio autem facultatis concessa non debet extendi ultra terminos exceptionis; atqui mutilatio simpliciter non est homicidium; quamvis enim comparetur homicidio quantum ad irregularitatem incurrendam, non tamen quantum ad cætera: ergo sub illa exceptione non continetur. Ita Joann. a S. Th. q. 64. d. 24. a. 2. n. 17. post Rodrig. Sa, Avila &c. Item Layman l. 3. t. 3. p. 3. c. 13. n. 1.

Sed petes 1. Quid sit membrum? R. Joannes a S. Th. post Covarr. Navarr. Henriquez, de Avila, tenet illam partem hominis propriè dici membrum, quæ habet officium distinctum ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum &c. Et hæc sententia habet fundamentum in Apostolo docente, quod membra in corpore distinctam operationem habeant, his verbis ad Rom. 12. *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra eundem actum non habent.* Et fusiùs 1. ad Cor. cap. 12.

Verum, quamvis fortè vera sit hæc physica definitio membri; non est tamen verisimile, quod Canones ad hanc attenderint pro statuenda mutilatione inducendè irregularitatem. Nemo enim, ut puto, negabit, quin fiet irregularis, qui alteri erueret oculum, amputaret pedem, aut ambos testiculos, & tamen unus oculus, aut unus pes non habet officium distinctum ab alio, neque testiculi a membro genitali, sed ex utroque oculo constatur unum visus organum, ex utroque pede unum gressus organum, ex ambobus testiculis cum membro virili inter multos a Jure computentur, ut patet ex dist. 55. & Extra. de corpore vitiatas.

Quapropter, quidquid sit de notitia physica membri strictè sumpti, arbitror cum Cajetano, Soto, Sylvio, Layman, & aliis, esse Juri conformius, quod quilibet abscissio alicujus insignis partis organice, ob quam corpus humanum censeatur notabiliter imperfectum & mutilum, sit juxta Canones mutilatio, quæ inducit irregularitatem. Undè infero, eum, qui alteri amputaret non solum manum, aut pedem & quid simile, sed & auriculam, etiam exteriorem, nasum, digitum, mamillam foemineæ, fore irregularem; secus, qui abscinderet capillos, supercilia, aliquam partem carnis, aliquos, & non omnes, dentes excuteret: de uno testiculo dubito.

Item foret irregularis, qui ita laderet membrum, ut

maneret omnino mortuum, quod tamen raro contingit; quia tunc membrum esset verè & substantialiter separatum, cum amplius cum corpore vivo non continuaretur, sed forma altera informaretur. Si autem sic læsum, ut non maneat omnino mortuum, quamvis ad suam functionem impotens, non incurritur irregularitas; quia, cum participet adhuc influxum vitæ, remaneat continuum cum corpore vivente: unde, qui istud abscederet, fieret irregularis, non qui primum omnino mortuum. Qui autem simpliciter vulnerat, absque imputatione alicujus partis organicæ, non est irregularis; quia irregularitas in Jure non est lata in vulnerantes, sed in mutilantes tantum.

Hæc de mutilante alterum: de mutilante autem seipsum.

Dico 2. Non solum, qui extrâ casum infirmitatis, aut necessitatis abscondit sibi partem aliquam notabilem organicam, ut manum, pedem, testiculos, digitum, &c. est irregularis, ut constat ex pluribus Canonibus dist. 53. Sed etiam, qui sine causa abscondit sibi partem partem v. gr. digitum. Ita expressè. C. Qui partem 6. dist. cit. his verbis: *Qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscondit, hunc ad Clerum Canones non admittunt... In illis enim voluntas est iudicata, quæ sibi ausa facit ferrum injicere.* Ob quam rationem Joannes a S. Th. reputat etiam irregularem, qui partem homogeneam, seu partem carnis sibi abscondit; quia, inquit, is etiam aude ferrum sibi injicere. Sed responderi potest, quod aliud sit Lex, aliud ratio Legis: alioquin sequeretur, quod ille, qui se simpliciter vulnerat absque amputatione, foret irregularis, qui etiam aude sibi ferrum injicere, quod tamen non admittitur.

Dixi: extrâ casum infirmitatis, aut necessitatis; Quia sic excipitur in Jure cap. Ex parte cit. & alibi. Unde, sicut eunuchus a natiuitate, vel casu, vel ex malitia hominum, non est irregularis; ita neque, qui causa infirmitatis seipsum abscondit, aut se abscondi jubet, vel permittit; secus, si sanus id faciat.

#### ARTICULUS XI.

##### De obligatione restituendi ex homicidio, mutilatione & læsione.

Duplex hic distinguitur damnum: Unum personale, quod est privatio vitæ, aut membri, seu etiam corporis læsio, ac deformatio. Alterum reale in bonis fortunæ, sequens ex occisione, mutilatione, aut læsione.

##### §. I. De Restitutione damni personalis ex homicidio.

Questio est, utrum pro damno personali facienda sit restitutio, aut saltem aliqua compensatio. Afirmant post S. Th. Scotus, Richardus, Paludanus, Sylvester, Cajetanus, Soto, Serra, Sylvius, & omnes ferme antiqui cum pluribus recentioribus. Negant Bannes, Navarrus, Lessius & plurimi recentiores.

Dico: quamvis pro damno personali non possit, nec debeat fieri restitutio strictè dicta (Hic q. 62. a. 2. ad 1. & in 6. d. 13. q. 1. a. 5. q. 2.), quæ æquale importet; probabilis est tamen, quod debeat fieri aliqua recompensatio qualis possibilis est, sive in pecunia, sive in aliquo honore, sive etiam in bonis spiritualibus, puta, elemosynis, precibus, sacrificiis, considerata conditione utriusque persone læsæ & lædenti, secundum arbitrium boni viri. Quod autem Bannes dicat, S. Thomam posse intelligi, vel de damno reali sequente, vel de debito decentiæ, utrumque est falsum. Primum, quia S. Doctor loquitur de eo, quod non est restituibile per æquivalentem, quale tamen est damnum reale, & ponit exemplum de membro ablato. Secundum, quia loquitur de eo, quod quis facere tenetur tamquam necessarium ad salutem; alioquin concederet, quod sibi opponit in argumento, cui respondet. Conclusio in favorem Lex Exod. 21. Si percussit quisquam oculum servi sui, aut ancille, & luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit: ergo per libertatem potest compensari membrum: quod si per libertatem, quidni per pecuniam, cum libertas pecunia possit vendi & redimi?

Prob. ratione. Qui alterum injustè occidit, mutilat, aut lædit, seclusis omnibus damnis realibus, facit illi injuriam, infertque damnum contra Justitiam commutativam, magis quam si illi auferret bona fortunæ: ergo tenetur per aliquam compensationem, in quantum possibile est, hanc injuriam damnumque resarcire, violatamque Justitiam reparare. Patet conseq. (Ib. o.) tum quia de necessitate salutis est conservare Justitiam: tum quia injuria

illatio & reparationis obligatio sunt correlativa; definitur enim injuria: actio, vel omisio adversus alterum ratione cuius debetur compensatio, seu satisfactio.

Repondent adversarii, consequens esse verum, quando damnum est reparabile, quod hic non currit; unde restituendi cessat obligatio, cum ad impossibile nemo teneatur. Sed contra. Quamvis damnum non sit reparabile ad æqualitatem, est tamen aliquo modo compensabile: & ideo, quamvis cesset obligatio restitutionis strictæ, quæ est ad æqualitatem, non tamen cessat obligatio recompensationis, prout esset possibilis. Justitia enim commutativa, licet non inclinet per se nisi ad restitutionem æqualem, per accidens tamen, quando æquale reddi non potest, inclinat ad reddendum, quod est possibile, etiam diversi ordinis præsertim inferioris, ut sic, quantum fieri potest, semper salva maneat. Falsum ergo arbitramur hoc principium: non possum reddere totum, ergo nihil teneo restituere: non possum restituere in eodem genere, ergo nec in alio. Confirmatur. Qui non potest restituere totum, quod debet, tenetur, secundum omnes, restituere partem, quam potest: ergo, qui non potest reddere æquivalentem tenetur reddere, quod possibile est; sive in eodem genere, sive in diverso, modo inde non multo magis gravetur restituens, quam læsus.

Instant. Qui debet summam pecuniæ, & non habet neque pecuniam, neque aliquid aliud pecunia æstimabile, non tenetur restituere in alio genere, sed liber est ab omni restitutione: ergo similiter in nostro casu. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, qui nunc non habet pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, unde restituat, possit habere in posterum: unde non solet exigi restitutio in alio genere. Si tamen exigeretur, puta in honore aliquo, aut aliqua submissione, quando nulla est spes restituendi in proprio genere, credimus conformiter ad D. Th. hic ad 1. & 2. quod deberet eam compensationem, seu satisfactionem præstare. Altera disparitas est, quod pecunia sit Jure gentium constituta, ut sit mensura omnium rerum temporalium & compensationum. Unde, qui non habet pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, quo restituat, ordinariè liber est; quia non habet id, quod solet esse mensuram compensationum. Sed, qui non potest restituere vitam, aut membrum, quod abstulit, potest habere pecuniam, per quam fiat aliquo usque compensatio.

Confirmatur conclusio: juxta Lessium & ejus in hac parte sequaces vita servi potest pecunia compensari, quia pretio æstimatur: ergo & vita hominis liberi. Prob. conseq. Servus & homo liber non differunt natura, sed libertate dumtaxat; atqui libertas, qua isse gaudet præ alio, non potest obstare, quin ejus vita, sicut vita servi, pretio æstimetur & pecunia compensetur, siquidem ipsa libertas, ut jam dixi, sit pretio æstimabilis, possitque pecunia vendi & redimi: ergo.

Obj. 1. Exod. 21. dicitur: Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit (scilicet ab homicidio), qui percussit; ita tamen ut operas ejus & impensas in medicos restituat: referret C. 1. de injuriis & damnis. Libr. 5. tit. 36. ergo lædens solum tenetur ad damna realia, non ad personalia, alioquin & istorum fieret mentio. R. N. Conseq. 1. quia est argumentum negativum. 2. quia ibidem infra fit mentio damni personalis, ut patet ex probat. conclusionibus.

Obj. 2. Secundum Jura L. ultima ff. De his, qui effuderint, & L. hac lege ff. Si quadrupes: Liberi hominis corpus nullam recipit æstimationem. Nec cicatricum, aut deformitatis ulla fit æstimatio, ergo. R. 1. Ita quidem juxta Jus commune servari in foro exteriori: sed non raro contingit, in illos eos non condemnari ad restitutionem, qui tamen ad eam in foro conscientie tenentur, ut patet in iis, qui vendendo, vel emendo decipiunt alios infra dimidium justipretii. R. 2. Quod, licet corpus liberum ex natura rei & per se non possit æstimari ad æquivalentem, potest tamen ex rationabili partium voluntate moraliter æstimari & appretiarum, non secundum absolutam æqualitatem, sed ut sit satis arbitrio prudentium & ex consensu partis læsæ, ad recompensandam injuriam ipsi illatam: patet in homine libero, qui se certo pretio vendit; aut in servo occiso, cujus vita pretio æstimatur pecunia compensatur.

Obj. 3. & similibus instabis. Corpori & membris fit injuria dum pro illis aliquid pretium pecuniarium solvitur, aut exigitur; quia corpus & membra excedunt omne pretium pecuniarium, cum sint superioris ordinis: sic fieret injuria

rei spirituali, si aliquid pretium pro ea solveretur, aut exigeretur: ergo. R. 1. Non majorem fieri injuriam corpori, & membris, quam cum homo se in servum vendit, aut dum pro illis in servo aliquid solvitur. Unde R. 2. D. Ant. Corpori, & membris fit injuria, dum pro illis auferendis aliquid pretium accipitur, aut solvitur. C. antec. pro ipsis ablatis, N. Ant. Disparitas est, quod exigere pretium pro vita, aut membris auferendis, sit æstimare pecuniam non solum usum, sed ipsam vitæ, & membrorum substantiam, cujus dominium Deus sibi reservavit, & quam prohibuit pro pecunia auferri. Exigere autem, aut accipere pro ipsis ablatis, est tantum æstimare pecuniam injuriam, quam læsus patitur in privatione indebita usus illorum, qui usus ipsius est; est enim vitæ, & membrorum usufructuarius. Sic exigere, seu dare pecuniam pro re spirituali tradenda, vel obtinenda est illi facere injuriam: sed dare pecuniam ad propulsandam injuriam, quia Beneficij possessor impeditur ab usu sui Beneficij, non est facere rei spirituali injuriam: & sic patet Responsio ad paritatem.

Inst. Homo non est dominus vitæ, aut membrorum, sed solus Deus: ergo non potest pro illa pacisci citrà Dei injuriam. R. ex dictis hominem non esse quidem dominum, esse tamen usufructuarium vitæ, & membrorum; & ideo pro injuria, quam patitur ex privatione hujusmodi usufructus, posse pacisci.

Obj. 4. Si homicida teneretur restituere pro damno personali, ipso non restituente, ejus hæredes tenerentur restituere; quia hæredes succedunt in oneribus, sicut in juribus defuncti; atqui hæredes non tenentur restituere pro damno personali: ergo nec ipse homicida. Confirm. Si homicida morte puniatur, nulla superest restitutio facienda pro damno personali: ergo neque, si non puniatur. Patet conseq. quia per mortem homicidæ fit tantum satisfactio Republicæ, & non parti læsæ, cui proinde restaret satisfactio faciendæ, si antea debuisset fieri; sicut restat faciendæ pro damno reali. Respondet Sylvius negando Min. quia probabile reputat, hæredes teneri ad hanc restitutionem. Respondent alii negando Maj. quia, sicut injuria est personalis, ita obligatio compensandi est etiam personalis, sicut in restitutione honoris, aut famæ, ideoque non transit ad hæredes. Ad confirmationem respondeatur etiam dupliciter: laudatus Sylvius negat conseq. & ejus probationem, vultque, quod per penam talionis satisfiat non solum Reip. sed etiam parti læsæ pro damno personali, et si non pro damno reali; quia, inquit, sic patiens reddit vitam pro vita. Noster Serra autem tenet, quod per mortem homicidæ satisfiat tantum Reip. & non parti læsæ, etiam pro damno personali; sique quod pro illo debeat adhuc fieri satisfactio, sicut pro damno reali, nisi constet partem læsam nullam aliam exigere satisfactionem pro damno personali, quam punitioem homicidæ, ut communiter contingit, maxime inter viros nobiles, aut honoratos, qui penam pecuniariam solent dignari pro damno personali.

Obj. 5. Vitæ omnium hominum sunt æqualis dignitatis: ergo æqualis pro omnibus debet fieri restitutio, quod est absurdum. R. D. Consequens: ergo æqualis pro omnibus debet fieri restitutio, si fieret ad æqualitatem, transeat consequentia; si fiat tantum compensatio, quantum possibile est, & ad satisfactionem partis læsæ, secundum arbitrium viri prudentis, N. Conseq. Etenim unus potest satisficere in pecunia, alter in honore tantum. Similiter potest uni satisfieri per honorem, aut per bona spiritualia, non per pecuniam; & e contra. Unde dicit S. Doctor, hanc compensationem debere fieri, considerata conditione utriusque persone secundum arbitrium boni viri.

##### §. II. De Restitutione damni realis ex homicidio, & quibus debeat fieri?

Damna, causata ex vulnere lethali, quædam antecedunt mortem, ut impense in Chirurgos, medicamina, alimenta preciosiora, lucrum cessans usque ad mortem, &c. Quædam sequuntur mortem, & ea sunt, quæ non occisio, sed ratione occisionis inferuntur aliis personis ipsi conjunctis, ut uxori, filiis, &c. Dico 1. Indubium est, omnia damna realia, & ea condonare, non erat ratioe juris, quod habebat in illa; sed quia hæc damna non subiciebantur restitutioni, nisi ratione injuriæ, quam ipse passus erat contra voluntatem, unde hoc ipso quo ille remittit injuriam, nullum jus restat hæredibus ad hanc restitutionem. Ad 2. R. hæredem voluntarium representare personam defuncti quantum ad jura dumtaxat, quæ habebat, dum viveret.

Dixi, hæc damna esse restituenda hæredibus, Non ad æqualitatem: quia certò sciri non potest, quantum occisus vixisset, quantum lucratus fuisset, aut fortè perdidisset. Debet

synas, &c. secundum æstimationem verisimilitudinis, ut dicam infra de damnis temporariis. Porro obligatio hæc omnia damna realia restituendi transit ad hæredes homicidæ, si antequam restituit, moriatur, etiam si extremo supplicio fuerit addictus; juxta tamen vires hereditatis, quia hereditas transit cum onere. Dico: Etiam extrema supplicio fuerit addictus. Quia, quidquid dicant aliqui, per extremum supplicium satisfiit quidem Justitiæ vindicativæ, & Republicæ, at non Justitiæ commutativæ, & parti læsæ, saltem quoad damna realia. Contingit tamen quandoquæ, quod pars læsa sistat in vindicta publica, & ulteriorem satisfactionem non exigat; quo casu liberi sunt hæredes a restitutione. Quod si homicidæ hereditas Fisco addicatur, id, quod post expensas factas in apprehensione homicidæ, & ejus processu supererit, tenebitur illud in satisfactionem partis læsæ, aut hæredum applicare. Quantum verò ad damnum personale, jam dixi probabile esse, quod pro ipso satisfiat per mortem homicidæ; vel quod sit injuria merè personalis, cui satisfaciendæ obligatio utpotè etiam personalis, non transit ad hæredes. Sed difficultas restat, quibus post mortem occisi hæc damna sint restituenda. Pro quo.

Dico 2. Omnia damna realia mortem antecedentia sunt restituenda ad æqualitatem, vel ipsi læso mortuo, vel cuius ejus hæredi sive necessario, sive non necessario, sive ab intestato, sive ex testamento; quia hæres quicumque succedit in omnia jura defuncti; atqui defunctus habebat jus strictum, & acquisitum ad compensationem omnium damnorum realium, mortem suam antecedentium: ergo. Itaque illius hereditibus quibuscumque sunt restituenda expensæ factæ in curando vulnere pro Chirurgis, Medicis, medicaminibus, alimentis, deductis tamen expensis, quas fecisset pro sustentatione ordinaria, lucrum cessans ex impotentia exercendi negotiationem, vel artem, quando vixit. Neque hic potest deduci æstimatio laboris, alioquin sæpè nihil esset restituendum, cum plerumque lucrum non superet æstimationem laboris, aliunde officii laboris assuetè libenter illum suscipiunt, nec inde se reputant gravatos. Item restituendum est damnum, si quod emerit in propriis bonis, eo quod læsus is invigilare non poterit. Item summa pecuniæ, si de ea fuerit conventum inter partes, aut ad eam reus fuerit a Jure condemnatus: & quia habent hæredes jus actionis de injuria, possunt pecuniam recipere, ut actioni cedant.

Dico 3. Omnia damna realia mortem subsequenter sunt restituenda, non secundum æqualitatem, sed secundum moralem æstimationem, solis hereditibus necessariis, scilicet filiis, parentibus, & uxori; non hereditibus voluntariis, quales sunt fratres, aut alii consanguinei. Prob. 1. pars. Tunc urget restitutionis obligatio, quando quis injustè lesit alterum in bonis propriis; atqui hæredes necessarij læduntur, in bonis propriis, quando læditur is, cujus sunt hæredes necessarii: ergo. Prob. min. Pater respectu filii est quoddam totum, filius veluti pars, vir & uxor sunt una caro; ita ut censeantur moraliter una persona: ergo, qui injustè lædit unum ex istis, lædit & alterum in propriis. Prob. 2. pars, quæ est communis contra Franciscum Henno, quamvis ipse immeritò dicat esse paucorum. Si horum damnorum restitutio deberet fieri hereditibus voluntariis, ideo esset, quia succedunt omnibus juribus defuncti; atqui hæc ratio nulla est: ergo. Prob. min. Defunctus nunquam habuit jus ad istam restitutionem, siquidem ejus obligatio per ipsius mortem tantum orta sit: ergo. Et ideo neque ex ea ratione, probativimus, restitutionem debere fieri hereditibus necessariis; sed quia læduntur in propriis per occisionem defuncti, quod non potest dici de hereditibus voluntariis, qui non censeantur unum cum illo.

Dices cum laudato Minorita: Defunctus ante mortem poterat pacisci cum homicida de illis damnis, inò & illa condonare: ergo habebat jus in illa. Insuper per fictionem Juris hæres representat personam defuncti; atqui defunctus si viveret, haberet jus ad illa: ergo habet ejus hæres. R. ad 1. N. Conseq. Quod enim defunctus ante mortem poterit pacisci de illis damnis, & ea condonare, non erat ratioe juris, quod habebat in illa; sed quia hæc damna non subiciebantur restitutioni, nisi ratione injuriæ, quam ipse passus erat contra voluntatem, unde hoc ipso quo ille remittit injuriam, nullum jus restat hæredibus ad hanc restitutionem. Ad 2. R. hæredem voluntarium representare personam defuncti quantum ad jura dumtaxat, quæ habebat, dum viveret.

Dixi, hæc damna esse restituenda hæredibus, Non ad æqualitatem: quia certò sciri non potest, quantum occisus vixisset, quantum lucratus fuisset, aut fortè perdidisset. Debet